



Aria STUDIOSORUM sunt PRIVILEGIA, quorum quidem magnam nubem proponere solent, quicumque ad Authentica Habitâ notas addiderunt aut commentarios. Iam enim Constitutionem Fridericus I. Imp. anno 1158. diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicum & aliorum Procerum sacri ejus Palatii examinatione, publicam & perpetuam legem esse jussit, in amœno campo ad Roncalias, qui locus Italiae est propè Placentiam: Ut adeo, firmo adhuc talo, apud nos stare videatur. Atq; ipsa privilegii summa huc recidit: posse Scholares (ita enim appellabantur, qui hodie honestius se vocari putant Studiosos) tuto venire ac secure habitare, injurias ab aliis sibi illatas graviter accusare, non nisi coram singulari iudice conveniri. Ampliantur verò ista à Doctoribus, & *Limnæus Jur. Publ. l. 8. c. 9.* distingvit inter Privilegia generalia & specialia, specialibus nimirum annumerans, quæ huic vel illi Studiorum Universitati sigillatim fuerint præter Authent. Hab. concessa. *Add. Matth. Steph. de Jurisd. lib. 3. part. 2. cap. 8, 9, 10. Richter. ad dict. Const. part. 3. Hunn. de Priv. Stud. th. 18. seqq. Lans. de Acad. p. 60. & multos alios.* At maximè liberalis est *Horatius Lucius Calliensis* in suo *de Privilegiis studentium* tractatu, qui, ut rotundum, opinor, eliceret numerum, centum observavit Privilegia, ita tamen inter se distincta, ut contra distinguendi leges, unum ab altero membrum absorbeatur. videlicet Privil. X. est: *Præsentes existimari qui studiorum causa absunt, & ideò eorum commodis potiri.* Sequitur Privil. XI. *His, qui studiorum causa absunt, concedi omnia privilegia,*  
que